

salvo relictæ, atque per Articulum quoque 8. Anni 1741. satis omnino salvatæ, neque Articulo 63. 1741., onus supplendi Legionis Hungaricas a Statibus et Ordinibus amoveni, praejudicatura, aut in consequentiam unquam esse trahenda.

Quod supremum est, Majestatem Vestram Sacratissimam humillimis de genu precibus exoramus, dignetur in hactenus a nobis homagiali promptitudine oblatis pecuniis Tyronibusque Clementissime conquirere, ac postquam extrema omnia fecimus, iisdem benignissime contentari. Nos vero Patriam nostram in sinum gratiarum Majestatis Vestrae Sacratissimæ de genu supplices reponentes, homagiali in subjectione emorimur etc.

Articulus Decimus Quintus.

De elaborata Dicae et Impositionis Regni repartitione.

Quandoquidem ad mentem Benigni Suae Majestatis Sacratissimæ mandati, intuitu Regulationis Comitatum, ad Dominos Status et Ordines emanati Catastrum cujusvis Comitatus Ejusdem Supremo Comiti resignari, adeoque incassatio quoque Perceptorum Comitatus inchoari deberet, ad id vero repartitio Dicae ac Impositionis Regni, Anno hoc alioquin ad finem jam vergente, praeretur, hinc repartitio tam pro generali Regni Exactore quam et Comitatus Perceptoribus in publico elaborata est, modalitate sequenti etc.

(Caeteris exmissis.)

Originale in Archivo Regni Croatiae.

1760. MENSE MAJO. ZAGRABIAE.

Articulus Generalis, Anno 1760. 22. et sequentibus Mensis Maji diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae in Generali eorundem, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, perpetui Terrae Fogaras, praefatorum Regnorum Bani, Eorundemque Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Sacratissimæ Caesareo Regiae et Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Consilarii Camerarii, Generalis Campi Mareschalli, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Comitatum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, et Tabulae Banalis Legalis Praesidis,